



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 82. Novi Senatorum conatus ad impediendum Regis iter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. A.C. 1494. summus Pontifex flocci pendebat fervidas Caroli VIII. preces, quibus hujus Regis inaugurationem differri, nilque contra jus, quod in hoc regnum Rex Christianissimus haberet, attentari rogabat, donec ipse litem armis diremisset. Id tamen in hoc negotio adhuc magis admiratu dignum est, quod summus Pontifex eodem temporis momento, quo Joannem Borgiam Nepotem suum ad Alphonsi coronationem Neapolim destinaverat, junctis cum Ludovico consiliis ac sumptibus recentem militiam, ut eidem Neapolitano Regi bellum inferret, conduxerit, suisque copiis præfecerit Prosperum Columnam, Carolo VIII. additum. Nec minus eodem tempore datis ad Brissonnetum literis eidem purpuram pollicitus est.

§. LXXXII.

Novi Senatorum conatus ad impediendum Regis iter.

Interea Caroli Regis Consilarii Neapolitanam expeditionem iterato conatu eidem dissuadere tentabant, occasione capta ex Pontificis inconstantia, & Petri Medicæi defectione, qui Ludovicum conspirationis adversus se in itæ insimulans, præ indignatione cum Neapolis Rege foedus restaurabat. Consiliariis favebant

bant aulæ Proceres, & jamjam belli Secul. XV:
A. C. 1404.
gerendi consilium penitus neglectum cre-
debatur, potissimum absterrente luculen-
to fortunæ ancipitis discrimine, ast ecce!
cum Cardinalis S. Petri ad vincula in
Gallias advenit, derepente tota muta-
tur rerum facies.

§. LXXXIII.

*Consilia Regis de bello suasu Cardi-
nalis maturata.*

Cardinalis iste veritus, ne ab Alphon- Surita tom.
5. l. 1. c. 28.
so in Ostiensi arce expugnatus Ale- Guicciard.
hist. Ital. l. 1.
xandro traderetur, vim evasurus con-
scensa triremi primum Genuam, inde Sa-
vonam, & tandem in Gallias delatus est,
ubi totam aulam, quid in hoc rerum car-
dine decernendum, in ancipiti fluctuan-
tem reperit. Præter Belloquardensem
Senescallum nemo alius bello pertinacius
insistebat; hunc ergo Cardinalis adiit,
atque, ambo collatis inter se consiliis Re-
gem ad arma capeffenda inducunt; Car-
dinalis enim, cujus constantia, animus-
que in Franciæ commoda propensus jam
dudum Proceribus satis exploratus erat,
pollicitus est, quod opera sua Genuen-
ses Gallorum studiis addictos conservare
velit, etiamsi tam Pontifex, quam Lu-
dovicus ab eis defecturi essent: sibi enim
ubique potentes suffragari fautores aje-
bat,

bat,